



Kem 241
(1-27)

(1)

DE
SANGVINIS MISSIONIS
IN
FEBRIBVS INTERMITTEN-
TIBVS VSTITATIBVS

* * * * *

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. MED. THEOR. CHEM. ANAT. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

AD DIEM NOVEMBRIS CICLOCCCLXXVII.

MEDICAM ET CHIRVRGICAM DOCTORIS

LAVREAM


LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICE DISSERET

AVCTOR

CHRISTOPHORVS LEBRECHT ROEMER

ISLEBIA - MANSFELDICVS.




TRAIECTI AD VIADRVM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.

DE SANCTI JONATHANIS
LIBRARIAS INTEGRAMTEN
TRIBAULTINATI
LAVARE
HARTMANNI
HILDEBRANDI
NOVAMURIS DEDICATI
MEDICIVEL ET CHIRURGICAV DOCOTORIS
FABRICI
LUDOVICUS CATHARINAS
XAVIER DISSEBERT
VACATOR
CHRISTOPHERUS LIPPERCHI ROMER
JULIANI - VENDELLIANI



TRIBAULTI DE VINDOBONA
THESS. IOANNIS CHRISTIANI AVINTHEI



PRAEFATIO.

Licet in determinandis sanandisque morbis non vna viguerit inter veteres aequac recentiores artis salutaris antistites doctrina; in eo tamen, quantum mihi constat, fere omnes consentiunt, si exoptatum exspectemus in curacione euentum, morbi caussam esse et quaerendam et tollendam, siquidem hac sublata et morbus, et, quae ab eodem pendent, symptomata euanescerent. Quae quidem via quamvis sola certa tutaque sit, non o-



mnes tamen eius vestigia quaerunt, imo plus minus
haud pauci medentium ab eadem deflectunt. Idem,
dum intermittentium febrium curationem meditor,
obseruare mihi videor. Quanta enim hic in meden-
do diuersitas! Sane non tam ab indicationum et con-
traindicantium diuersitate petita, quam ex arbitrio et
incongrua ratiocinandi methodo enata. Igitur quum
animaduertam, plures sanguinis missionem in curan-
dis febribus intermittentibus iniuste aut negligere,
aut damnare, ex quorundam haud incelebrium in ar-
te salutari virorum mente; libellum qualemcumque,
ad summos iu medicina honores consequendos, *de*
sanguinis missionis in febribus intermittentibus utilitate con-
scribere, operae pretium esse duxi. *Quod ut B. L. ae-*
qui bonique consulat, est, quod etiam atque
etiam rogo.

DE



DE
SANGVINIS MISSIONIS
IN
FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS
VTILITATE.


I.

Febrim intermittentem eam esse febrim, quae accedat recedatque alternis vicibus ita, ut sui nullum fere ad sensum relinquat vestigium, iam a maioribus in pathologicis accepimus. **G A L E N V S** de differ. febr. L. I. C. I. **B O E R H A A V E** aphor. 727. **V. S W I E T E N** comm. ad h. l. Referuntur ad eiusmodi febres, ratione typi diuersae haec in primis earundem species, nimirum: quotidiana, tertiana, quartana, rel. eaedemque et simplices, et duplicatae, triplicatae, atque varia ratione complicatae. Paroxysmos inferre et breuiores et longiores, adeo nonnumquam protractos, ut continuae videantur, eademque et anticipare et postponere, et vagas, et constantes seruare periodos, obseruantur. Paroxysmi quoque solent protypi ratione esse diuersi, ut tamen maxime spectanda sint: frigus, horror, rigor; calor, aestus, sudor, variaque symptomata; atque in vniuersum duratio accessionis atque intermissionis. Easdem quoque neque aetati vlli, nec sexui vtrique parcere, existere epidemicas, endemicas, sporadiccas, adeoque a caussis tum vniuersalibus, tum sin-

A 3

gula-





gularibus, repetendas esse, inter medicos satis constat. Sic et distinctio in vernales et autumnales, adnotante SYDENHAMO, magno viro, maximi momenti est. Adeo denique deprehenduntur interdum larvatae, ut sub gravissimis suis symptomatibus medicos haud raro fallant, siquidem sub apoplexiae, cari, rel. lárva latent. Sed his diutius inhaerere non placet.

II.

Quae esset harum febrium natura, maiores nostri aequae, ac recentiorum medicorum multi disquisierunt: at, si dicendum quod res est, non fausto omnino omni- ne. Neque, rem esse expeditu difficultiam, certe negari potest. Ut vero, quantum licet, atque ad nos iam pertinere videtur, eius naturam declaremus, vt, quae sint earumdem febrium caussae remotae, exponamus, tumque ad proximam, quam dicunt, transeamus, omni- no necesse erit.

III.

Itaque ad remotas harum febrium caussas, com- probantibus obseruationibus, iure meritoque referri me- rentur sequentes:

a) *ingesta*; sub cibi, potus, veneni, medicamenti no- mine usurpata (vnde et cruditates primarum viarum), quae varia ratione, aut qualitate, aut copia, febrim intermittentem excitasse visa sunt, obseruantibus V. CL. Conf. RIEDLINI lin. med. Ann. 5. Ann. 6. obs. 5. et p. 756. LOTICHII obs. med. L.I. ETTMÜLLER obs. 225.

opp.

opp. T. IV. p. 379. **TORTI** therap. Spec. L. II. C. VIII.
Schol. 2. Acta N. C. vol. V. obs. 18. p. 79. **MADAI**
v. Wechselfieb. §. 257.

- b) *colluvies humorum prauorum*, tam in viis primis, quam secundis haerens, maxime bilis vel abundantia, vel corruptio.
V. SWIETEN comm. ad §. 747. **SENAC** de recond. febr. interm. natura L. I. C. V. VI. **MEDICVS** beobacht. T. I. §. 61. p. 110. seq. **VOGEL** prael. de cogn. et cur. morb. §. 14. p. 10.
- c) *Plethora*, maxime commota. Hinc sola venae festio febrim fustulit: atque orta obseruatur a haemorrhagiis consuetis suppressis, v. g. a catameniis, haemorrhoidibus. cf. §. XV.
- d) *spissitudo sanguinis*, indeque enatae stases, obstrunctiones, quorsum referas exempla mulierum, grauiditatis tempore his febribus correptarum. **FR. HOFFMANN** opp. T. II. p. 28. obs. 1. **RIVERII** obs. cent. IV. obs. 72. opp. p. 547.
- e) *cachexiae*, vt *scorbutus*; **ETTMÜLLER** opp. T. IV. Coll. Conf. cas. 150. p. 351. **TIMAEVS v. GÜLDENKLEE** obs. med. L. VIII. cas. 15. 18. *malum venereum* **DEIDIER** de morb. vener. obs. 4. *de SAVVAGES* nosol. meth. (ed. Amst. 4.) T. I. p. 353. *v. SWIETEN* Comm. T. V. p. 529.
- f) *veneris abusus*: tres casus habet **MADAI** l. c. §. 172.

g) *Hy-*



g) *hysterica passio*. Eph. N. C. Dec. I. a. 2. obs. 193. Dec. III.
a. 5. et 6. obs. 136. de **SAVVAGES** l. c. T. I. p. 352.

h) *idiosyncrasia*, si varia non sine horrore assumuntur.
Eph. N. C. Dec. II. a. 4. app. abs. 51. a. 2. obs. 127.
ETTMÜLLER l. c. 188. 365.

i) *heterogena*, in corpore delitescentia, vt *calculi*, *vermes*.
FOREST obs. L. III. o. 44. Eph. N. C. Dec. I. a. 6. et 7.
obs. 104. Dec. II. a. 5. app. obs. 22. Dec. III. a. 1. o.
136. et. a. 2. obs. 96. **TORTI** l. c. L. V. C. VI. ed.
Fr. p. 431.

k) *metastases*, vt a scabie repulsa. **F.R. HOEFMANN** T. II. 12.
T. I. p. 336. f. 358. l. **IVNCKER**. consp. ther. spec. T.
LXXIX. 249. suppressa transpiratione aut sudore **SENAC** l. c. L. IV. C. VI. **MADAI** l. c. §. 102. 105. 240.

l) *animi affectus*, Eph. N. C. D. III. a. 2. o. 198. Act.
N. C. Vol. V. obs. 117. **ETTMÜLLER** l. c. obs. 140.
p. 347. obs. 252. p. 385. **RIEDLINVS** l. c. a. 2. m.
mai. obs. VI. v. **SWIETEN** Comm. ad aphor. 755.
TRALLE V. Cel. vsus opii f. II. c. II. §. 4. **MADAI**
l. c. §. 107.

m) *aëris constitutio endemica*, loca humida et frigida, pa-
ludum effluvia. Eph. N. C. Dec. II. a 7. obs. 220. **SENAC**
l. c. L. I. C. VII. **PRINGLE** V. Cel. v. d. Feldkrankheit
d. Armee. th. III. Cap. IV. Abschn. II. ed. **BRAND**.
p. 205. seq. **DON. MONRO** v. d. Feldkrankh. p. 160. seq.
HUXHAM Opp. T. II. Cap. II. ed. **REICHEL**. p. 35. epi-
demi-

demica FR. HOFFMANN T. II. p. 20. obs. VI. CLEG.
HORN v. d. Krankheiten in Minorca Cap. II. VOGEL
I. c. § 14.

III.


Hae fere sunt materiales caussae, quae intermit-
tes varii generis febres excitasse visae sunt. At easdem
non sufficere vbique inducendis eiusmodi febribus, inde
facile colligitur, quod vna aut plures enumeratarum con-
ditionum interdum adsint, nec sequatur tamen febris in-
termittens. Itaque debet adesse alia caussa, aut iam ante ma-
teriale caussam, in corpus agentem, praefens, aut simul
cum illa inducatur, oportet. Id perspicerunt fere omnes,
quotquot fuere medici; at, quae esset eiusmodi caussa,
eorumdem ingenia exercuit, variaque variorum fuit sen-
tentia. Alii enim in fluidis, ali in solidis corporis hu-
mani, in ambobus alii quaesiverunt, atque varia demum
ratione sunt ratiocinati.

V.

Missis alius, eam expendamus sententiam, quae
maxime rationibus se commendat, quamque grauissimi
in arte viri hodie turgentur. Nimurum videtur in intermit-
tentibus febribus neruosum in primis adfici sistema, at-
que inordinato cuidam, sed determinato tamen motui
singulari subesse. „Repentes, inquit AVRIVILLIVS,
in diff. de Febr. intermitt. malign. §. VI. in syll. opusc.

B

med.



„med. pr. arg. *Ill. BALDINGERI* Vol. I. p. 20.
 „per dorsum horrores, membrorum, totiusque corporis
 „tremores et concussions, frigoris sensus, vere licet ca-
 „lente saepe corpore; adiungentes se spasmi interni, mo-
 „lesti ad vomitum nifus, etiam lingua non sordida, non
 „repleto ventriculo, bile certissime adhuc non exundan-
 „te; vagi dolores, rheumatismum mentientes; et mali-
 „gna illa symptomata, dolores enormes, syncope,
 „algores perpetui, sopores, encephalo idiopathice, vt
 „dicunt, non affecto: haec, inquit, omnia, siue humo-
 „rum effectus, siue caussae fuerint, in nervis peraguntur,
 „qui ad encephalum vsque motus suos propagant“. Ade-
 de, quod animi pathemata certe in nervos maxime agant,
 atque intermittentes non producant solum, verum fuga-
 ces denuo reuocent. Praeterea mobilissimo systemate ner-
 uoso praediti infantes toties corripiuntur conuulsionibus.
 Eph. N. C. Dec. II. a. 10. obs. 199. v. SWIETEN ad
 aph. 757. Ingenii acumen auctum interdum in singulis
 paroxysmis deprehenditur; v. SWIETEN aph. 560. atque
 sensuum hic, ille, in paroxysmis perit, iisdemque fuga-
 tis redit. Eph. N. C. Dec. III. a. 9. obs. 208. TIMAEVS l.c.
 L. l.c. VI. Act. N. C. Vol. I. obs. 32. Porro morbi systematis
 nervosi, vt epilepsia, paralysis, hypochondriaca passio, ple-
 rumque a febre intermittente extirpantur; WERLHOFF
 de febr. S. 10. §. 3. p. 140. ELLERS med. v. chir. Ann.
 p. 15, 18. Acta N. C. Vol. V. obs. 64. FR. HOFFMANN
 opp. T. II. p. 22. aut in eiusmodi morbum desinit illa.
 Sic et hysterica affectio, certe in nervoso systemate lati-
 .bam
 8
 tans





tans, maximam habet cum febribus intermittentibus analogiam. Similes enim sunt ambarum exacerbationes, ab horripilatione inchoant, transeunt in calorem, sudoreque finiuntur, similes redduntur vrinæ, et iuuantium nocentiumque in ambabus par est ratio. Quis vero est, quin mali hysterici sedem ponat in neruoso systemate? Sic etiam feminae hystericae, si intermittente corripiuntur, a malo hysterico fere liberae sunt.

VI.

Porro laruatae febres consistunt in neruosi systematis laesione, e. c. paralysi, epilepsia, lethargo; ac transeunt huiusfectus in febres intermittentes, sicut et iidem ab illis sanantur; v. SWIETEN aph. 757. Denique febrifuga pleraque in neruos potissimum agunt. Sic emetica, quorum vel unicum sufficit tollendae febri intermitteri, nullo alio remedio in ysum vocato, SENAC l.c.L.III. C.VI.p.239. non tam videntur febri mederi, euacuatione cita materiae prauae, atque tollendo stases atque obstrunctiones viscerum, quam excitato motu succussorio videntur nerui ita adfici, ut singularis neruorum status salutifera mutetur ratione. cf. SENAC l. m. c. Sic etiam roborantia, atque in primis cortex Peruianus, egregium illud ac specificum fere in intermittentibus febribus remedium, maxime in solida, atque in primis in neruos agunt, vt multae suadent varii generis obseruationes.



VII.

Igitur videtur febris excitari intermittens, dum inordinatus, sed idem singularis, determinatus systematis neruosi motus producitur a causa materiali, in §. III. enarrata. Atque ab eadem singulari neruosi systematis conditione paroxysmos quoque repetendos esse, haud inique statuant summi viri. Sic SWIETENIVS, „videtur, „inquit, ab epidemico miasmate excitari febris intermittens, simulque in primi spiritibus, neruis, vel horum „origini communi talis character, per quem statu tempore paroxysmus reuertatur.“ ad aphor. 757. T. II. p. 538. Quae vero sit eadem singularis systematis neruosi indoles, hoc usque nos latet, ac forte aeternum latebit.

VIII.

Sed proprius accedamus ad propositum nostrum. Quum non possit dubitari, quin morbus quicunque tollatur causa morbi proxima, ut aiunt, sublata, et hic oportebit, medentem respicere ad causam febris intermittens proximam. Ea vero quum et nos fere lateat, atque deprehendatur tolli, sublata causa materiali; ut curaturus febrem intermittentem respiciat ad causam materialem, oportebit. Igitur debet cognita habere atque perspecta signa, quibus materialis agnoscatur causa.

VIII.

Hinc missis iam reliquis causis materialibus, quae deprehenduntur febres intermittentes excitare, ad plethoram


thoram redeamus, utpote quae febribus intermittentibus producendis haud impar haberi debet. Nimirum plethoram, notum est, inducere acrimoniam, spasmos, congestiones ad pectus et caput, orgasmum. Spasmos inquam, cum ob distensiones vasorum minorum, tum ob enatam, maxime ob tardiorum humorum circuitum, spissitudinem. Acrimoniam autem producit tam ob eamdem spissitudinem, quam ob spasmos, quibus se- et excretiones turbantur, ut noxia excernenda in corpore retineantur. Congestiones vero facile quoque concipiuntur ob spasmos, in partibus exterioribus ponendos, quibus sit, ut sanguis interiora versus ruat, atque ad debiliora in primis loca, hinc ad pulmones et caput. Igitur ob congestum circa praecordia sanguinem difficultis redditur respiratio, et quum sub tarda respiratione sanguis difficulter possit a capite descendere, intelligitur, cur caput maxime obruatur sanguine. Sed quum sanguis in capite congestus noceat premendo cerebrum et stagnando, facile patet, cur et delirium sequatur. Denique orgasmus ex plethora facile deducitur. Nam posita in vasis minoribus resistentia sanguis circa praecordia accumulatur, incitatque inde cor tum ad celeriorem tum frequentiorem actionem, quorundam et facit humorum acrimonia; unde orgasmi ratio facile patet.

Sed positis itaque spasmos, acrimonia humorum, orgasmo, congestionibus versus caput, haud difficulter intelligitur, nervosum systema grauius adisci debere, ut

B 3

ad





ad motus inordinatos, sed determinatos incitetur, hinc oriatur febris intermittens.

X.

Sed poterit alia causa materialis (§. III.) in corpore plethorico, quod ob plethoram ad eiusmodi causam suscipiendam aptius est, efficere febrim intermittentem. In eiusmodi igitur subiecto plethora praesens symptoma magis intendat, oportet. Plethora enim, ut vidimus §. VIII., spasmos, congestiones, orgasmum, hinc ipsam febrim adaugebit. Praeterea vero, qui adeo salutiferi esse in febribus intermittentibus obseruantur, ad finem accessionum erumpentes, sudores ob spasmos cohibentur, qui etiam, ut vrina cruda reddatur, efficiunt. Dum igitur retinentur in corpore noxia, summo cum frumentu excernenda, fomes febrilis augetur, neruosum systema magis adficitur: ut itaque plethora noua exstet paroxysmorum causa.

XI.

Atque eiusmodi febribus medenti quoque plethora obstat, si vel febris non a plethora orta fuerit. Nimirum, quae tanti in his febribus plerumque facienda sunt, emetica aegroto plethorico vix quidem tuto exhiberi possunt; liquidem, et humorum congestiones versus caput tantae inferantur, ut vasorum ruptura in encephalo sequatur, et in vasis ventriculi inflammatio inducatur, aut sanguinis

guinis vomitus, metuendum est. Igitur emetica in plethorico hominē, febri intermittente correpto, contraindicantur. Sed et aluum purgantia, quae licet sine danno propinentur, saltem absque fructu exhibentur, quoniam ob enatos spasmos secretio intestinalis prohibetur; immo resorptio assumtorum retardatur, ut et reliqua medicamenta absque utilitate omnino propinentur.

Ex quibus denique omnibus adparet, male se habere eiusmodi plethoricos, febribus intermittentibus correptos. Id quod Cl. RAYMOND his testatur: „Quam ob memorem homines plethorici, et lauta diaeta visi, in maiori semper discrimine haerent. Observatum quoque est, iuvenes floridos et robustissimos difficilius resurge-re.“ rel. in ill. BALDINGERI syll. diss. Vol. I. p. 33.


§. XI.

XII.

Iam signa tradamus oportet, quibus, febrem intermittentem esse a plethora repetendam, aut ob eamdem grauiorem reddi, intelligatur: quae quidem huc redeunt. Nimirum si homo lauto aut abundanti viectu usus, vitam in primis sedentariam vivens, appetitu ciborum gaudet integro, bene digerit, et nutritur, tarde et difficer respirat, atque ingratum in pectore sensum (ob difficultem sanguinis per pulmones transitum) experitur, atque a leuiori causa anhelat, subitaneo calori obnoxius ab ingestis paullo calidioribus aut exaestuantibus, lassitudinem

dinem





dinem corporis sentit, muscularum actioni dolorifcae, corporis vniuersi, maxime pedum grauitati, somni cupidirati obnoxius est, noctes turbulentas, somniosas habet; facies florida, subrubea, rosea, oculi rubentes, et crebra ophthalmia, capitis grauitas et dolor, in primis sub frontis et syncipitis osse; aurium tinnitus, vertigo, sensibilitas maior, pulsus fortis, durus, plenus, tardus, atque a leuissima caussa concitatus, consuetae etiam haemorrhagiae suppressae; si haec, inquam praest, sunt, homo plethoricus dicendus est.

His itaque signis, plechoram veram sanguineam manifestantibus praegressis, in aegroto febri intermitente iam laborante, sub paroxysmo vix frigus sentitur atque aestus vehementissimus est, maxime humores caput versus ruunt, ut facies, oculi, rubore suffundantur, atque haud raro delirium paroxysmum comitetur; lingua non est sordida, nec sudor vix illus obseruatur ad accessionis finem; neque apyrexia adest plenaria, capitis dolores perdurant, atque in intermissione venae cument.

Sed quomodo his febris intermittentibus laborantibus mederi debet? Ipsane natura his congrue medetur? Videndum est, siquidem ars est naturae minister.

Itaque febres intermittentes interdum haemorrhagiis, narium, vteri, haemorrhoidibus, rel. sanantur, edocentibus obseruationibus, Eph. N.C. Cent. VI. obs. 60.

p. 317.

p. 317. P. ALPINI qui ipse a febre quartana epistaxi,
qua sex libr. sanguinis perdidit, liberatus est; de praef.
vita et morte aegr. L. VII. C. II. §. 5. et L. VI. C. XIII.
§. 3. FORESTI, L. III. obs. 32. RIVERII obs. Cent. IV.
obs. 61. de HAEN Rat. med. T. XI. C. I. §. 1. p. 6. et 56. 57.
et MORGAGNI, de sed. et causs. morb. epist. XXI. a. 43.
qui refert, febrim intermittentem esse solutam sanguinis
grumosi per tuissim reiectione.

XIII.

Igitur quum eiusmodi aegroti haemorrhagiis, a
natura excitatis, egregie sustentati fuerint (§. XIII.) at-
que plethora congrue imminuat sanguinis missione, iu-
bet omnino ratio, in eiusmodi subiectis instituatur. Vidi-
mus enim §. X. XI., quantum damni in eiusmodi febribus
plethora adferat, atque omnem medicinam in iisdem ina-
nem esse, nisi sanguis imminuat; id quod per artem
facile obtinetur.

XV.


Itaque celebranda est sanguinis missio, secan-
do venam,

a) curative

I) ob *plethoram*, quae credenda est caussa materialis febris
intermittentis (§. IX. XII.). Hinc merito instituitur,
repetita quoque, donec plethorae signa cum febre eu-
nescant, aut si febris superstet, haec tamen possit con-
venienti ratione expugnari. Intermittentem enim fe-
brim

C


brim



brim interdum omnino tolli, vna, aut repetita venae sectione, absque omni alio remedio, obseruationes compabant. Quod quidem fit, dum materialis febris intermittentis caussa sola plethora est. Sic eiusmodi obseruationes leguntur apud FORESTVM, Obs. L. III. C. 2. 3. vbi aegrotus post tertiana paroxysmum tertium adeo vehementem, ut deliraret, venae sectione instituta in apyrexia, a febre omnino liberatus est. Alter aegrotus, fascia, sectae in brachio venae circumdata, noctu sponte soluta, dormiens tantum sanguinis amisit, ut paene moriretur. Sed febris abiit. Similes historiae exstant apud AMATVM LYSITANVM, Cent. VII. cur. 51. RIVERIVM obs. Cent. I, obs. 20. PECHLINVM obs. L. II. obs. 12. MADAI l. c. §. 203. qui meminit mulieris, lactationis tempore tertiana corruptae. Varia incassum adhibita fuerunt remedia, donec in memoriam reuocaret, ipsam, ter antea iam matrem, bene se habuisse, quod mox a puerperio catamenia erumperent. Substituit itaque, quum et accensionis tempore dorsi dolores experiebatur, partus doloribus vehementiores, venae sectionem, qua instituta siluit febris. Reuersam post quatuor hebdomades denuo phlebotomia profligauit. Tertio redeuntem denuo sanguinis missione fugauit. Tandem erumpentibus catameniis febris omnino euanuit.

XVI.

Sed et ipse duas obseruationes habui, quae huc spectant. Nimirum iuuenis, XIV. annos natus, plethoricus,




ricus, correptus erat tertiana. Suasi phlebotomiam. Noluit eadem ut ille, atque alia remedia ad débellandam febrim in usum vocavit. His autem nihil iuuantibus rediit. Denuo suasi sanguinis missionem, quam demum instituit, eo euentu, ut a febre postea, absque omni alio medicamento, sanitatem recuperaret. Altera historia ad mulierem XXX. annor. attinet, utpote quae plethorica tertianaque laborans, catamenia diu non sustinuerat; commendauit, (quum ad me accedebat, ut antifebrilia suadarem), phlebotomiam, quam etiam instituendam curauit tanto cum fructu, ut febris abiret, atque catamenia demum erumperent.

XVII.

Spectant et hoc grauiissimorum auctorum testimonia. Nimirum CELSVS L. II. c. X. p. 78. ed. KRAVS. Ergo vehemens febris, inquit, *vbi facies rubet; corpus, venae tument, sanguinis detractionem requirit.* Sed idem hic obtinere, ex iam dictis satis superque patet. Sic etiam FR. HOFFMANNVS opp. T. II. p. 17. §. X. quando febris, inquit, *primum accedens, continuae speciem refert, ingens aeflus cum delirio urget, aeflas regnat, aeger aetate viagens, sanguine abundat, utiliter vena pertunditur.* WERLHOFIVS l. c. p. 74. quoque; *venae sectio, inquit, pro plethorae, orgasmi et virium modulo, plenitudinem minuere, flasas, inflammationes, et raptus ad cerebrum praepedire, et orgasmō sanguineo naturaeque nutui obsequi, in pluribus necessum fuit.* Ac SWIETENIVS ad §. 762. T. II. p. 552

C 2

haec



haec notauit: *venae sectio prodest in iuuenili plerorico corpore, febri intermittente laborante, in primis verna tempestate, dum metus est, ne tempore caloris febrilis rarefactus sanguis plena nimis vasa rumpat, dum ingens capitinis dolor ab eadem causa orget.* Sic quoque de H A E N l. c. T. XI. Cap. I. p. 53. merito laudatur venae sectio, inquit, *in febribus intermittentibus.* Est enim aliquando metus, ne in plerorici a valido febrili motu, humor copiosior circumductus noceat stagnando, obstruendo, inflammando, repagulaque diffingendo sua. — Quando igitur suam fortunatam praxin laudabat D. C H O M E L, ex dato, hora ante paroxysmum largo chamomillae cum cremore tartari decocto, institutaque mox inde venae sectione, eum pleroricos maxime in cura habuisse, credibile fit. Tum etiam S E N A C V S l. c. L. III. C. v. p. 229. Noxiū in primis esset, inquit, venae sectionem praetermittere, si turgeat sanguis, si intensus sit febrilis motus, si calori vrenti aut acutissimo capitinis dolore vexentur aegri, metuendam sane esset, ne grauior fieret morbus, et variarum partium laederentur functiones; non alii profecto causae tribuenda saepissime febrium pertinacia, quam huic neglegcio remedio; inde non raro febris fugorum irrita, imo et noxia vis, his aduersari sanguinis copiam, tum circuitus impetum, et inde exortum calorem, certissima constat experientia.

Atque V O G E L I V S l. c. p. 19. Sanguinis missio etiam tunc conuenit, inquit, tam in ipso circuitu, quam extra illum, in primis ubi acerbiores capitinis dolores et mentis alienationes vexant. Ut plane non audiendi sint hi, qui tamquam

quam maxime nocuam eam in intermittentibus reiiciunt. Sic etiam CLEGHORN l. c. Cap. III. p. 186. in omni tertiana, si mox vocatus erat, sanguinem misit, atque aetatem omnino negligens, X. a. XII. vncias sanguinis detraxit; atque si cephalaea aut graue delirium, et magnus dolor aut aestus in interioribus obseruabatur, repetiit sanguinis missione. Tumque docet, paroxysmorum vehementiam imminui, apyrexias perfectiores reddi, emetica et purgantia melius agere, ac symptomata periculosa arceri, ut difficilis respiratio, sopor cum delirio, atque inflammations viscerum. Denique Cl. QVARIN meth. medend. febr. Cap. XII. p. 127. *Vernales febres*, inquit, *in iuueni- bus et sanguineis non raro mutantur in inflammatorias*; hinc pulsu pleniori, duriore, respiratione difficiili, maxime si abusus spirituorum febrim praecessit, aut consuetae sanguinis evacuationes intermissae fuerunt, vena secunda est. Sed et in auctumnalibus sanguinis detractio necessaria est, si mox dicta symptomata spectentur.

E contrario maximo cum damno interdum omit-
titur. Sic BALLONIVS epidem. Lib. II. p. 287. gra-
uiorem recenset casum, *vbi nobilis vir, febre tertiana la-*
borabat; medicus αἰρόβος detractionem sanguinis neglexit. Quarto paroxysmo rupis veluti venis, et facto impetu quo-
dam in partibus internis, tanta foras excretio sanguinis con-
secuta est, ut eo ipso die obeundum illi fuerit.

XVIII.

- 2) Maxime instituenda est sanguinis missio, *vbi haemor-*
rhagiae consuetae supressae sunt, ut catameniorum, hae-

C 3

mar-



morrhoidum fluxus. Sic varia exstant exempla, vbi magno cum fructu venaeſectio celebrata est, aut hirudines ad anum applicatae fuerunt. Eiusmodi obſeruationes occurrent apud **F****O****R****E****S****T****V****M** obſ. L. III. obſ. 41. **F****A****R****I****C****I****V****M** **H****I****L****D****A****N****V****M** de tuenda valetud. p. 645. **R****I****E****R****I****V****M** prax. med. L. XVII. C. V. **R****A****Y****G****E****R****V****M** ad **S****P****I****N****D****L****E****R****I** obſ. 45. Schol. „**B****E****N**. **F****A****V****E****T****I****N****V****S**, „inquit auctor, in tollendo quartanam, praecedentibus vniuersalibus remediis, pro indubitate experientia mento habebat, ut venae haemorrhoidales secarentur. „Refert quoque **G****V****A****I****N****E****R****I****V****S** se vidisse, praecipitorem suum **I****A****C**. **F****O****R****O****L****I****V****I****E****N****S****E****M** de la **T****V****R****E**, nobilem quemdam curasse solis remediis, quae „haemorrhoides prouocabant.“

3) vbi circuitus per viscera abdominalia impeditus est, aut retardatus, ut in hypochondriacis, haemorrhoidariis, gravidis, quoniam ea mala, §. IX. seq. exposita inde augentur, oportet; ut congestiones, spasmi. Speſtat hoc **F****R**. **H****O****F****M****A****N****N****I** opp. T. II. p. 27. §. VIII. testimonium: *Sanguinis per venam ſectam miffio*, dicentis, auferendis quartanae cauſis direcē quidem non responder, nihil tamen feciūs, vbi ſuspicio eſt, febrem ab impedito sanguinis per abdominalis viscera progreſſu ſuſtentari, ut in iis, qui pathematibus hypochondriaco-hystericis obnoxii fluxum haemorrhoidalem antea experti, aut molimina ad hunc perſentiscent, utiliter utique vena in pede pertunditur, adeo ut unica veuaectione quartanam contumacem

peni-

penitus discussam esse, obseruauerim. Quum enim grauidae tantum non omnes sint plethoricae, venae sectionem, si quartana corripiuntur, utiliter non modo ferunt, sed et poscunt, ne, intenso per spasmos febriles sanguinis motu, vterus ad praematuram exclusionem fetus sollicitetur. Sic etiam septimestri grauidae, correptae duplii tertiana, cum fructu vena secta est aliquoties RIVERII obs.
Cent. IV. c. 72.

XVIII.

4) *vbi apyrexia est imperfecta*, vt pulsus sit celerior naturali, cephalalgia perfest, vexet sitis, aeger languidus et debilis est, vt solet esse in febribus tertianis, aut nimium protractis, aut duplicatis. Sic etiam in iis instituenda est phlebotomia, quae in initio continuae sunt, aut in iis, quae facile continuae fiunt. Interdum quoque hic repetenda est. Sic SENACVS l. c. L. III. C. IV. p. 228. *vidi saepissime*, inquit, *febres duplices tertianas unica venae sectione in tertianas simplices abiisse, dimidia ergo huius febris pars tolli potest missa sanguine, sed quod non minoris momenti est, obseruatione certa et repetita mihi constat, paroxysmos omnino mitiores fieri: postquam missus est sanguis, minus urget calor, parcior est sudoris effluxus, dolor capitidis est leuior, functiones denique omnium partium melius procedunt.* Addit deinde sequentia: l. m. c. p. 230. *In constitutione, quae hic loci vigebat, febres erant duplices tertianae, imo multae continuarum induabant speciem; at qui in iis aegritudinibus percipiebant leuamen, nisi post tres aut quatuor venae sectiones; in multis ita durus*



¶¶¶

rus erat pulsus, et ita acutus capit is dolor, ut quinques vel sexies venae sectionem repetere cogerentur medici; si ei parcerent, ingens vrensque urgebat calor, atroces erant capit is dolores, in vere continuas abire solebant febres, at postquam satis laxata fuerat missa sanguine corporis compages, remittebant breui omnia symptomata, induciasque concedebant ad alia exhibenda remedia. Sic etiam Cl. MEDICVS l. c. T. I. §. 83. p. 175. seq. ter, quater, et ultra, sanguinem detraxit in sua epidemia. Neglecta autem phlebotomia in continuas abeunt, monente etiam DON. MONRO, l. c. p. 150. 151. quum e contrario duplices reddantur simplices, si venae sectio instituitur, obseruantibus SENACO, l. c. FORESTO l. c. L. V. obs. II. de SAVVAGES l. c. T. I. p. 346. HVXHAMO opp. T. II. p. 33. aliis.

XX.

5) *phlogistica quoque sanguinis diathesis*, in his febribus interdum, maxime in febribus quotidianis et tertiana duplii, praesens, sanguinis missionem indicat. Sic HVXHAMVS l. m. c. p. 32. *sanguinem*, inquit, *in febribus quotidianis magis, quam in tertianis, atque in his magis, quam in quartanis, densum esse et tenacem, nos docet experientia; ita ut in quotidianis, ceteris paribus, proxime ad statum inflammatorium accedat.* — — Itaque videmus, non nullas febrium intermittentium species quam proxime ad statum accedere inflammatorium, et regimen frigidum, conuenientem diluendi modum et interdum sanguinis


guinis non minus, ad aliquem gradum emissionem, quam alias requirere euacuationes. Similiter etiam ill. TIS-
SOTVS Anl. f. d. gem. Mann. §. 261. haec proposuit:
*Wenn die Anfälle sehr stark, und die Kopfschmerzen sehr
heftig sind, wenn das Gesicht roth, der Puls voll und hart
und Husten vorhanden ist, der Puls seine Härte behält,
wenn das Wasser hitzig, und die Zunge sehr trocken ist,
so muss man einen Aderlass vornehmen.*

- 6) epidemica quoque constitutio determinat, an venae sectio
sit instituenda, atque an repetenda sit. Sic iubebat illa,
quam obserabant SENAC ET CAS. MEDICVS v. cel.
sed eadem renuit quandoque, vt in sequentibus patebit.
- 7) in primis institui debet, si recens est febris, licet in in-
ueteratis quoque febribus intermittentibus locum ha-
beat. SENACO l. c. p. 100. 101. enim iudice, in in-
ueteratis quoque febribus locum habet, si pulsus eam
postulat aut permittit, et nimia est febris excandescens,
vbi ab eiusmodi remedio abstinere non licet.
- 8) maxime quoque in vernalibus febribus instituenda est.
Sic TORTI Therapeut. special. Cap. IX. distinguendum
est, inquit, inter febres intermittentes vernas, aestivias, et au-
tumnales. — Vere siquidem turgent succi omnes nostri spiri-
tu per hiemem compresso, solisue calore perfusi, quaquaue-
sum alacriter expanduntur. — — Si igitur febris inter-
mittens verno tempore contingat, suasor sum, ut tali tem-
pestate instituatur venaesectio. Similia supra leguntur
apud van SWIETEN §. XVII.

bam

D

§. XXI.



XXI.

- 9) In quartana etiam in primis instituenda est. SYDENHAMVS opp. T. I. p. 193. quidem venae sectionem in „quartanis his reiecit: „Quartanariis in tantum ob-„est phlebotomia, vt iuuenes, qui a morbo alias intra-„sex menses fuissent liberati, per sex adhuc alios ab eo-„dem detineantur: aetateque prouectiores, qui nisi „sanguinem detraxissent, intra annum poterant sanari, „morbum etiam vltra statutum illud tempus alere pericli-„tantur, ac denique eodem vieti succumbere.“ Sed nimia est SYDENHAMI censura. Supra enim retulimus obseruationes, vbi sanguinis detractione optimo cum fructu in quartanis instituta est, aut hirudines ad annum applicatae fuerunt. Quorum pertinet HILDANI, FORESTI, PECHLINI, FR. HOFFMANNI, MADAII, obseruationes. Hinc etiam SENACVS l.c. p. 355: interim non succedit, inquit, vt plurimum curatio absque venae sectione in quartana; unde si per vires licet, semper tentanda est, id quod etiam RIVERIVS pr. med. L. XVII. S. II. C. V. p. 441. comprobat. Neque etiam audiendi sunt, inquiens, qui sanguinis missione non admittunt in quartana, nisi illius redundantia per venarum turgescentiam, aliaque signa apparuerint. Perpetuo enim ab initio est plethora ad vires, ni quartana aliis febribus longis successerit.
- 10) in tertiana pleuristica. Rarior quidem febris, quam tamen viderunt VALESIVS in epid. L. I. Sect. III. p. 30. v. SWIETEN, Comm. T. II. p. 446. de HAEN Febr. diuis. p. 139. R. M. T. II. p. 91. LAVTTER hist. med.

.IXX.

C




med. Cap. II. cas. 5. 9. et *de SAVVAGES* l. c. T. I. p. 351. n. 4.; est pleuritis, qua alternis diebus pleuritide obnoxius est aeger, alternis vero nullo morbo tenetur. Curatur phlebotomiis et catharticis, edicentibus *v. SWIETEN* et *de SAVVAGES* l. c., licet adeo largas venaesectiones non ferat, vt pleuritis vera, monente *van SWIETEN* Comm. T. III. p. 42.

11) in febribus intermittentibus malignis, vt *apoplectica*. *SYDENHAMVS* opp. T. I. p. 191. S. quidem et hic venaesectiones damnavit: *MORTONVS* Pyretol. exerc. I. p. 75. ed. Lugd. 1737. autem easdem omnino, nec sine ratione admisit. (cf. §. IX. X. XI. Atque sub plethorae praesentia etiam easdem admittunt *TORTIL.C.* Cap. IX. ac *WERLHOFFIVS* l. S. c.)

XXII.

b) Prophylactice instituenda est venae sectio, vt tuto possint exhiberi emetica in corpore pleniori. Sic *SWIETENIVS* l. c. T. II. p. 553. *Si emetico opus est*, inquit, quandoque venae sectio praemittitur, ne inter vomendum sanguine distenta vasa, in primis in capite, violentis illis nixibus rumpantur. Imo *SYDENHAMVS* opp. T. I. p. 32. qui alias venae sectiones in intermittentibus damnat, in tertianis vernalibus, admisit, maxime si vomitorium exhibendum esset. Atque *C. RAYMOND* l. c. §. XIV. p. 35. in coll. *ILL. BALDINGERI* qui sanguinis detractionem *SYDENHAMI* fere verbis in intermittentibus reprehendit; tamen eamdem hic addmitit. *Si facies rubra et inflata, oculi inflammati, calor vehe-*



*vehemens et per totum corpus aequabilis est, ante vomitum
vena secunda est. Contra si facies pallida et contracta, pul-
sus non plenus, sed parvus, tum venae sectio nociva foret.*

XXIII.

*Sed quando instituenda sit venae sectio? quaeritur. Sub
initium inuasionis, an finito paroxysmo? Videtur sub in-
itium inuasionis prodeesse, siquidem emetica et purgantia
hoc tempore data, dum typus febris nimium pertinax
est, motus febribus turbant summo cum fructu. Sic c E L-
S V S in stadio caloris, AS CLEPIA D E M secutus, exhib-
uit emeticum. L. III. C. XII. XIV. Dedit etiam cum
fructu CR A T O resp. et epist. med. L. II. p. 417. Negar-
runt autem c E L S V S L. II. C. X. p. 80. MORTON V S
pyret. Ex I. C. VI. p. 37. SENAC l. c. L. II. C. IX. p. 256.
PRINGLE l. c. p. 237. alii et obstat infaustus euentus
Eph. N. C. Dec. II. a. 6. o. 228.*

*Quidam tamen empiricus multos curauit tertianos,
purgando semel leui medicamento, postea venam
aperiendo in ipso accessionis initio, eo cum fructu, ut
accessio valde exigua adpareret, nec rediret; ut videre
est apud RIVERIV M obs. adi. dec. V. p. 367. Sic et alia
historia apud eumdem legitur. Nimirum in septimestri
grauida, correpta duplice tertiana, ter vena secta est, at-
que alia propinata sunt remedia, sed absque emolumen-
to. Tandem sub initium paroxysmi instituta est, ut fe-
bris omnino fugaretur. obs. Cent. IV. obs. 73.*

*Et RAYGERVS ad SPINDLERI obs. 35. vena-
sectionem, inquit, sub initium paroxysmicum PRIENS saepe
opti-*

optimam esse non tantum in quartana, verum et tertiana ipse expertus sum: et alibi: saepius venae sectionem adhibui ipsa hora imo sub initium paroxysmi maximo cum effectu, in not. ad RVLANDI thes. med. de febr. tert. Ac SAVVAGESIVS: phlebotomia, inquit, in aestu febrili potissimum collocatur de febr. interm. cur. l. c. T. I. p. 347. — In tertiana legitima, phlebotomia, nisi aeger sit senex, infans, vel convalescens, instituatur, imo pro necessitate repetatur in accessu. l. c. p. 350. — Curatio quartanae exigit phlebotomiam in accessu, nisi plures iam febris accessus expertus aeger sit debilis aut senex l. c. p. 355.

Digna sunt, quae notentur, haec CLEGHORNII l. c. C. III. p. 187. Aus neuern Erfahrungen wissen wir, dass man die Aderlässe während der ganzen Perioden vornehmen kann, und nur alsdenn ist sie schädlich, wenn man sie während des Frostes, oder wenn der Frost bevorsteht, vornimmt. Seit einigen Jahren öffnete ich, durch das Beispiel einiger berühmten Aerzte (ASTRVC, GOVRRAIGNE) bewogen, insgemein zu Anfang der Fieberhitze die Ader. Der Kranke verspürte unmittelbar darauf eine Erleichterung; die übermäßige Hitze des Körpers wurde geringer, und die kritische Schweiße brachen eher und häufiger aus. War aber diese Zeit des Paroxysmus bereits vorüber, so ließ ich des Abends, wenn der Paroxysmus nachließ oder aufhörte, die Ader öffnen.

XXIII.

Quantum sanguinis detrahendum sit, et quoties secunda sit vena, et morbi vehementia, et aegri vires, et epidemia determinat. Quo magis vero intermittens ad

D 3

con-





continuam accedit, eo plus, aut crebrius, ceteris paribus, sanguis detrahendus. Sed in simplici vere intermittenti, siue dupli, vbi sola plethora peccat aut indicat, vna aut duae venae sectiones sufficiunt; nisi symptomata plures poscant.

Quod denique *locum* attinet, ex quo sanguis detrahendus sit, is certe non religiose disquirendus est. Atque eorum historias, qua venae cuiusdam, v. g. saluatellae, se^ttio admodum proficia fuit in intermittentibus, sic explico, vt sanguinis copiae imminutae idem adscribam, certe non singularem in loco vim quaeram. Tamen, sia suppressis aut catameniis, aut haemorrhoidibus febris aut sustentata, aut orta esse existimatur, tum in pede merito instituitur, aut hirudines ad anum adplicantur.

XXV.

Sed etiam *contraindicantia venaesectionis* in febribus intermittentibus attendenda sunt. Huc pertinet:


a) *plethorae absentia* in febribus intermittentibus (aut si positivae thesis enuncianda est; *febris intermittens per se venaesectionem vix indicat.*) Tantorum virorum in arte medica testimonia, quibus, venae sectionem in intermittentibus febribus non esse celebrandam, docuerunt, plura omnino occurunt, vt eadem non omnino negligenda esse videantur. Sic SYDENHAMVS opp. T.I. p. 54. vir summus: „Intermittentium auctumnalium curatio, „nem non sine ingenti discrimine per phlebotomiam „tentari, frequenti nimis obseruatione iam olim didici „(ante corticis Peruvianiani usum.) Etenim in tertianis „(maxime si ea constitutio admodum fuerit epidemica) „hac

„hac methodo sanandis, nisi chirurgi gladiolus eodem
iactu, quo venam pertundit, ipsam etiam febrem con-
fodiat, dictae febres, etiam in vegetioribus et athle-
tice cetera valentibus, non nisi longo temporis tractu
expugnari se patientur: in prouectioribus autem diu-
tinum febris cruciatum demum mors excipit. Adde,
quod venaesectio alia etiam symptomata illa maturius
accersiuit, quae febres auctumnales intermittentes
in statu declinationis vel comitari diximus, vel a ter-
go sequi.“ Atque hunc secutus BOERHAAVIUS
aphor. 762. „venae sectio, edixit, nocet per se sem-
per, prodest alias casu.“ Ita quoque ELLERVS
Obs. de cogn. et cur. morb. p. 91. „de sanguinis de-
tractione ex secta vena, numquam vidi ablatam ter-
tianam febrem, et ex reiteratis eiusmodi detractio-
nibus tenaciorem illam obseruaui, et in febrem len-
tam secedentem, hecsticae antecursorem.“

Atque ii quoque supra §. XVII. siue adducti viri,
licet sub plethora admitterent, eamdem tamen in vniuer-
sum haud commendant: v. g. HOFFMANNVS, van
SWIETEN, alii. Ita HVXHAMVS opp. T. II.
p. 35. „Inconuenientes euacuationes, inquit, quae
sanguinis missione et purgatione fiunt, — — — has
febres valde anomalas, pertinaces et periculosas red-
dunt, ac, vt in malignas putridas vel lentes neruosas
degenerent, saepius efficiunt: alias illae hydrope, i-
ctero, aut viscerum abdominalium obstructione vniuer-
sali et frequenter morbis, genus neruosum adficientibus
terminantur.“

Certe





XXVI.

Certe b) si febris mitis est, neque extensa, nec duplex,
c) aeger exhaustus, aut cachecticus merito omittitur. Hinc
congruesSENACVS l.c. p. 229. haec stabiluit: „In quo-
„cumque febrili motu, absolum sane esset, ad venae se-
„ctionem configere; sunt febres, in quibus ab ea abstineret
„licet et oportet; tales sunt eae, quae leuiores sunt,
„aut quae viribus exhaustis vel certis exantlatis morbis
„superueniunt.“

d) contraindicat etiam interdum *epidemica constitutio*.
Sic RAMAZZINI const epid. Mutin. SYDENH. opp. T. II.
p. 27. 28. haec memoriae prodidit: „Disquisitione di-
„gnum est, cur in hac constitutione tam saepe contigerit,
„quod tertiana simplex in duplice migrarite a ipsa die,
„qua secta est vena. — Culpanda certe hic est venae se-
„ctio tamquam non aptum remedium, — — regeram
„nego, nullas fere duplices tertianas toto veris tempo-
„re vias esse, tum ruri, tum in hac vrbe, nisi eas, quas
„venae sectio gemitur, quare non video, quomodo
„ab hoc crimine phlebotomia tamquam innocens possit
„absolui.“ Similia occurunt apud AMATVM LVSI-
TANVM Cent. I. curat. 2. HOFFMANNVM cas. cent.
II. et III. cas. 200. aliosque. RINGLE l. c. p. 246.
quoque obseruavit, in locis paludosis humidisque, ve-
nae sectionem minus esse necessariam, quam in iis, quae
in locis siccis grassantur.

XXVII.

Itaque finem libello imponimus his SENACI l. c. p.
233. 234. verbis. Atqui ex millenis obseruationibus constat,
venae sectionem in febribus intermittentibus fuisse admodum
proficiam; si quando nocuisse vifa est, non fuit accurata me-
dendi ratio, medici ergo aut aegri culpa accidit, quod sanguini-
nis missione tam audacter exprobratur. — — Hinc si ferant
vires, venae sectio celebranda, nec nisi symptomatum vi
ad eam adigi debemus.

KO 18

PICA





(1)

DE
SANGVINIS MISSIONIS
IN
FEBRIBVS INTERMITTEN-
TIBVS V UTILITATE

PRAESEDE

PETRO IMMANV

PHIL. ET MED. DOCT. MED. THI
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. N
FVRT. SCIENT. V UTIL. ITEMQV
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVT
MEDICI HOCT

AD DIEM NOVE
MEDICAM ET CHIR
LAV
LEGITIME
PVBLIC
AV
CHRISTOPHORVS
ISLEBIA - M

TRAJECTI A
TYPIS JOANNIS CH

